DISSERTATIO DE INDOLE ET CURATIONE HYSTERIÆ SECUNDUM...

L. Porges



DISSERTATIO

DE

INDOLE ET CURATIONE HYSTERIÆ

SECUNDUM

OPINIONES NEOTERICORUM ELABORATA

AUCTORE

L. PORGES



PATAVII

EX OFFICINA SOCIORUM TITULO MINERVA

1843



Das Schicksal der Weiber ist unstreitig weit trauriger als das der Männer.

Doct. Joh. Georg Zimmermann.
(*Erfahrung in der Arzneykunst*)

§. 1.

Hysteria, *les vapeurs*, est morbus e nevrosium classe chronicus, formae admodum versatilis, consistens in alterata systematis nervosi sensibilitate, praecipue nervorum abdominalium et sympathicorum.

Hysteria, vox derivata ab ὑστέρα uterus, proprie morbum sexus foeminei designat, et qui cum analogis symptomatibus in sexu masculo occurrit, hucusque nomine hypochondriae fuit distinctus; ita, ut hypochondria et hysteria idem morbus sit habitus non phaenomenis sed sexu individui differens. Recentiores vero, mares quoque hysteriae obnoxios esse observantes, hypochondriam ab hysteria separarunt et hysteriam masculam (quamquam nomen improprium) assumserunt. Mihi ipsi quidem luculentum hysteriae spinalis haereditariae exemplar in juvene quindecim annorum fuit oblatum; dum vero hi casus admodum rari sint, caeterum non omnes hysteriae afferant formas, morbum hunc qua foeminis solennem tractandum esse, mihi persuasi.

§. 2.

Nosographia. Est adeo diversa, sub qua hysteria in conspectum venit forma, ut fere omnibus substitui possit morbis, et inde quam maxime arduum sit eam delineandi tentamen. Evolutionem, paroxysmos et apyrexiam sequentibus haecce sese offert imago:

Incipit morbus miris, quas aegra experitur, sensationibus, dysphoria quadam, consuetam suam occupationem difficilem reddente, aegritudine, consuetudinum atque adpetentiarum mutatione. Anxia evadit, incerta, mobilis admodum; spernit, quae semper dilexit; colit, quae parvi habuit; desiderat, respuit, despondet, exultat absque causa, character penitus alius fit, irritabilitas, in adfectus vehementes pronitas ex

698

ensis levissimis. His sensim sensimque evolutis accedunt pandiculatio, oscitatio, cardiopalmus, dolores in scrobiculo, sensus ponderis in pectore; susurrus aurium, photopsia, pavores subiti, singultus et insequitur paroxysmus, qui varia offert symptomata, pro vario in quo sedem suam figit morbus, organo.

Hysteria uterinalis. Sensum experiuntur aegrae, ac si vi ex imo pelvis sursum .raheretur uterus, peregrinum simul corpus adscenderet, et ad collum perveniens illud constringeret — globulus hystericus. Differunt circa sedem ejus auctores; alii laryngem, alii pharyngem spasmo corripi credunt; liquet vero, aegras, dum summum accusant suffocationis periculum, vero fluxu verborum inundare adstantes; adversari autem quam maxime, quaecumque illis praebentur deglutienda.

Hysteria vesicalis. Dolor urens in stranguriam increscens; quae secedit urina, spastica est.

Hysteria intestinalis. (Luculentissima hysteriae forma\ Praeceps et fortis ventris tumor et subita contractio; tenet spasmus musculos orbiculares; dolores atroces, urentes, lacerantes in regione umbilicali; adtactum timent levissimum, imo manum adpropinquantem abhorrent, idque non solum oculis apertis sed clausis quoque, aut manibus clanculum admotis (quod pro nervosa depouit atmosphaera); firme et fortiter premendo vero mitigantur vel cessent dolores. Accedunt vomitus et diarrhoea, febris vestigia nulla, pulsus contra saepe parvus, irregularis, cutis et urina spasticae.

Hysteria gastrica. Creberrima et aetati provectae potius habitualis hysteriae forma. Sensus ventriculi constringens, urens, spasticus cum eadem, ac in hysteria intestinali sensilitate erga adtactum. Spasmus oesophagum versus propagatur et subsidet vomitu fluidi clari, pellucidi, insipidi, si ventriculum solummodo torquet; amari vel acidi, si hepaticum quoque sollicitat plexum.

Hysteria pulmonalis. Dyspnoeam summam, dolores atrocissimos, pungentes, inspirationem intercipientes, respirationis impossibilitatem, suffocationis imminentis accusant periculum,

idque larga copia verborum. Tussis saepe sicca, latrans, respiratio nunc abdominalis, nunc anhelans, anxia, situ arecto.

Hysteria laryngea. Respiratio sibillans, anxia, sensus colli constricti, vox manifeste alienata, tussis latrans, interdum penitus animalis, loquela aeque mutata.

Hysteria cardiaca. Cardiopalmus repentinus et adeo vehemens, ut non solum sentiatur, sed et audiatur, imo videatur; vehemens pectoris oppressio et inquietudo, vomitus cruentus interdum largus.

Hysteria spinalis. Terribilis forma, non crebra. Dolor tensivus juxta longitudinem columnae vertebralis, de repente rigiditas et immobilitas completa, ita ut nec membrum nec musculus movari possit — *Tetanus hystericus*; val (quae saepius occurrit forma) membra postrursum flectuntur — *Opisthotonus hystericus;* in singulis casibus occiput calcem tetigisse est observatum. Sub longiori duratione tonici fiunt spasmi, et turbatus sanguinis motus tam in pulmonibus quam in facie phaenomenis manifestatur venositatis.

Hysteria cephalica. Dolor rheumaticus unilateralis juxta radius nervi frontalis et temporalis, mox vehemens, mox levis — *Hemicrania, migraine;* alias sensus clavi vel fili ferrei candentis per caput protrusi — *clavus hystericus.*

Hysteria vasculosa. Pulsus valda frequens, fili ad instar tensus et durus adeo, ut aegrum synocha flagrantem diceres. Saepissime vero unus tantum alterve vasorum ramus corripitur, laudata exhibens symptomata; interdum aorta abdominalis, cujus pulsatio vehemens aneurisma mentitur.

Hysteria muscularis. Convulsiones adsunt; levissima forma offerunt tremores, ab initio subjectivos, postea objectivus; voluntati proinde sese subtrahunt motus, fiunt automatici, convulsiones demum ex una consuetim prodeunt regione ex. gr. ex antibrachio et hic limitentur, vel super totum systema musculorum proserpunt. Motus sunt rapidi, varii, una musculorum familia alteram sequente. Subinde musculorum, qui nunquam simul agunt, combinantur motus, nunc horrorem nunc risum provocantes.

Nonnunquam convulsiones tanta vehementia incedunt; ut ad altitudinem plurium pedum sursum jactentur, et quidem tanto impetu, ut ad retinendum individuum alias debile, hinc inde sex viri sat robusti vix sufficiant. Tanta deinde recidunt vehementia, ut facile ossa frangantur vel luxentur, musculi distorqueantur, organa nobilia concutiantur. Obtulit mihi talem casum puella septemdecim annorum, constitutionis lymphaticae, habitus teneri, characteris mitissimi. — Convulsio diaphragmatis vel qua gelasmus cum ideis comicis, vel qua lacrymatio spastica cum ideis tragicis apparet.

Sub tetano aut spasmo musculorum respirationi inservientium (excepto diaphragmate) integra gaudent aegrae conscientia; aliae lipothymia reali vel delirio abripiuntur.

§ 3.

Singulae hae proinde formae saepius combinantur, vel ocyus serius una in alteram transeunt, quin lex statui possit nec combinationis nec successionis. Id saltem patet, evolutionem unius alteriusve formae charactari epidemico tum stationario tum annuo respondere, aestatis tempore plerumque gastritidem, alio pneumoniam praevalere hystericam, genio epidemico vel gastrico vel inflammatorio pulmonum praevalente. Tandem intenduntur omnia haec symptomata menstruatione ingruente, remittunt cessante.

§. 4.

Durat paroxysmus in genere plures horas; symptomata vero non semper eodem incedunt vigore, omni tertio quarto vel quinto minuto cessant plus minus clamor et convulsio, conqueritur aegrota et in aliam recidit convulsionem. Interdum tamen accessus unius pluriumve dierum observantur cum intervallis longioribus, sub quibus redit conscientia, colloquuntur, bibunt, edunt aegrotae. Insultus ergo paroxysmis convulsivis componuntur, quorum numerus a singulis aliquot ad quadraginta imo sexaginta extenditur et ultra Priores accessus plerumque vehementissimi sunt, in quo aegra primum

octo, secundem quadraginta quinque dies cum remissionibus quadraginta aut quinquaginta minutorum durasse, est observatum.

Aegrotae in genere optime distinguunt inter remissionem simplicem et finem paroxysmi; dicunt accessum esse finitum, se tuto sibi relinqui posse et raro errant; remissiones quamquam conspicuae sint, imo per plures horas protractae, tamen asserunt aegrotae, se bene sentire, accessum non esse finitum; experiuntur certam membrorum inquietudinem, crispationem, stuporem, dysphoriam, quae novas praesagit convulsiones.

Finis paroxysmi alias cachinnis strepitosis et expressione magni gaudii, alias lacrymis profusis, alias utroque statu alterno stipatur. Redit loquelae facultas; conquaruntur, intensos dolores se percipere in toto corpore; sunt lassae, defessae, exhaustae, difficulter sese movent; sudor largus in tota superficie; caput calet, oculi dolent, dentes quasi obtusi, interdum fracti sunt; sensus valde irritabiles, ideae confusae et exaltatae; aegrotae impatientes, tristes, cholericae; urina clara, larga hinc inde; appetitus nullus, sitis magna, somnus impossibilis aut valde inquietus. Aliquando remanet paralysis localis alicujus sensus, musculorum vocis, vesicae sphincterum, extremitatum inferiorum, imo convulsio partialis, Chorea St. Viti; interdum post paroxysmum immediatim vel in intervallis in somnambulismum cadunt, vel in statum somni magnetici; ita ego puellam post accessum in tali statu detentam vidi, quae, quum porta atrii aperiretur (pluribus quamquam cubiculis interpositis) fratrem ex imperato ab urbe vicina revertentem cognovit, et advenire cum magno gaudio exclamavit. — Si abdomen tumet nonnisi passim passimque recedit, interdum intra viginti quatuor horas, in aliis casibus plures post septimanas. — Habitualis sanitatis status paulatim revenit, in paucis horis, si accessus levis, post plures dies, si gravior fuit.

§. 5.

In intervallis aegrae status variat secundum paroxysmorum vehementiam et frequentiam. Si rari sunt et morbus recens,

sanitatis vigentis interdum offerunt speciem; nec facile concipi potest, quomodo affectio adeo gravis tam inconspicuum in nutritionem exserat effectum. Nihilominus omnes fere aegrae sunt nervosae, mobiles, irritabiles, imaginationis vivae, ex causis levissimis conturbandae, impatientes, irascibiles, obstinatae; sensus admodum sensiles; lux quidquam intense, sonus quidam aut odor certus, temperaturae variatio, atmosphaera electricitate abundans graviter illas adficit; negotio paulisper ardue defatigantur, et capitis dolores accusant; somnus raro profundus, continuus; saepe difficilis aut impossibilis, incompletus, somniis horrificis turbatus; plurimae fiunt melancholicae, solitudinem quaerunt, ideis tristibus occupantur, interdum suicidii desiderio; aliae hilares semper sunt, rident absque ansa, vel tristes lacrymas fundunt; hemicrania quoque, globulus hystericus, repetitarum inspirationum profundarum necessitas, cardiopalmus, animi deliquia, gastralgia et obstipatio observantur.

Menstrua in genere irregularia, vel, si omne mense ingruunt, difficilia, brevia, cum cephalea, dysphoria, characteris mutatione; vel vero penitus regularia quoad tempus et quantitatem. Conceptio, gestatio et puerperium normale interdum, saepissime autem abortus. In genere uterus in hystericis morbose adfectus; plurimae fluore albo laborant; aliae onaniae deditae pollutionibus diurnis vexantur.

Peculiare in hystericis phaenomenon est in mendaciam et fraudem dispositio, quae mox in verum degenerat morbum, quo omnibus, quibuscum in commercium veniunt, falsam sui et sanitatis suae ideam impertire conantur; idque non solum parcam, qua gaudent, salutem et gaudii sensum sacrificando, sed etiam directe maxime dolorificas arcessendo sensationes; hoc dein modo concipi potest, quomodo aliae acus sub ungues inserunt, aliae alio modo misericordiae excitandae aduntur.

§. 6.

Omnis haec symptomata vigore increscunt, quo frequentiores et quidem per longius tempus recurrunt paroxysmi. Ae-

grae adspectum assum seosim perdunt, atque spasmis aut manifestis extra paroxysmum vexantur. Tandem morbos, si jam per aliquot annos duravit, secundum dispositionem individualem plus minusve profunda relinquit vestigia. Intellectus, praecipue memoria laeguet, conqueruntur aegrae de magna capitis debilitate, et imbecillitatem intellectus timent; nonnunquam manifestum onius corporis lateris, vel imo totius systematis muscularis adest decrementum; alias arditas plus minusve completa aut visus debilitas; fere semper melancholia, pconitas in syncopem incompletam, species obnubilationis cum suppressione loquelae et conscientia pro parte sublata, non rara paralysis vesicae et urinarum inde retentio. Non obstantibus vero paralysi, digestione difficili etc. nutritio saepe viget, cutis color non est alteratus et aegrae consuetum suum negotium sat alacriter perficiunt.

§. 7.

Diagnosis. Tam vehementia quam complicatio symptomatum multum faciunt ad medicum perturbandum et a recta via seducendum. Adminicula vera diagnoseos, quae medico attento sese offerunt, sunt partim generalia hysteriae characteres, partim specialia singulae cuilibet formae convenientes.

Prioribus accenseoda:

1. Peculiaritas vultus, in aegrae oculo potissimum quaerenda, oculo in aliis fracto, lacrymante; adpetente, languente in aliis.

2. Symptomatum versatilitas et inconstantia, imo e diametro sibi oppositorum hinc inde successio immediata.

3. Contrariorum symptomatum concursus, uti pulsus durus, tensus absque ulla caloris alteratione, absque siti.

4. Abnormia organi spasmo correpti in potentias externas reactio; sic e. g. vehementissimos cordis palpitationes nonnunquam vino cedere videmus.

Specialia morbi, ut ita dicam, localia phaenomena plurimum inflammationis referunt speciem, vel spasmi vehementissimi, imo in arteriis aneurismatis.

Inflammationis vero diagnosi repugnant phaenomena systematis vasorum omnem febris ideam refotantia; uti: absentia frigoris aut animi deliquii praegressi, aeque ac sitis; temperatura cutis atque pulsus nunc normales nunc abnormes; repentinus morbi accessus, mutatio et finis; porro exploratio organi praecipue dolentis; contrectatio sat firma laryngis, abdominis, quam quidem valdopere ab initio abhorrent aegrae, dein vero cum magno ferunt levamine: percussio in carditide, percussio et auscultatio in pneumonitide, materierum vomitu aut diarrhoea excretarum inquisitio, urina tandem spastica.

In aliis casibus, quod tales accessus jam prius aut saepius adfuere una cum notis generalibus dubiam confirmabunt diagnosim. Aegrarum offatis vero eatenus tantum fidem habeat medicus, quatenus factis comprobantur objectiyis.

§. 8.

Decursus est lentus, chronicus, rarissime acutus, paucis absolvendus paroxysmis. Durat hysteria per annos, atque serie paroxysmorum componitur, in quibus nil typici sese offert, si excipias, quod ab initio lunaris interdum transmicet periodus. Singulus paroxysmus variom occupat tempus a quadrante horae ad nycthemerum usque, et levissime interdum provocatur ansa, uti: aura frigidiuscula, potu frigido, certo odore, sonu etc.; adeo sensiles tandem fiunt aegrae, ut vel minima animi commotio electricam quasi producat ictum, a cerebro in pelvim usque ruentem atque atroces ibi commoventem dolores.

§. 9.

Ex sectione cadaverum, uti in omnibus affectionibus chronicis, variatione et complicatione obnoxiis, neque per se ipsas lethiferis plane nihil prodit. Nam vel senentur hystericae, vel moriuntur accidentali aliqua affectione, quae intercipit paroxysmum atque proinde causam tollit, vel tandem variis adficiuntur laesionibus, quae jam immediatus hysteriae effectus esse possunt, nunquam vero hysteria ipsa. Et quod difficultatem adhuc involvit aliam, aegrae longam vivere possunt

vitam; raro vero licet eas stricte observare et filum vicissitudinum sequi, quibus exponuntur. Auctores varias invenerunt alterationes uteri et ovariorum, canalis alimentaris, organorum respirationis, encephali, secundum varisam, quam hysteriae tribuerunt sedem; quod satis probat eorum inquisitiones ab ideis praeoccupatis fuisse directas.

§. 10.

Aetiologia. Quatuor dantur auctorum opiniones circa sedem hysteriae. Secundum antiquissimam hysteria qua affectio uteri considaratur; secundum alteram in variis radicatur visceribus, uti in abdomine, in pectore vel in cerebro; secundum tertiam in systemata nervoso universali, secundum ultimam in cerebro particulariter.

Hippocrates uterum comparavit eam ente, sensu at motu praedito quod ad varias corporis partes se conferre et varia ibidem efficere posait mala, quae omnisi per odores sensibus gratos, uterum ad locum suum revocantes esset levanda. — Eandem fovebant ejus successores opinionem, qui in utero, quasi in foco vapores malignos subtilissimos evolvi et per textus varios penetrando singula organa invadere et lacessere credebant. Vaporibus istis tandem globum mysteriosum substituerunt, quem ex utero oriundum abdomen, thoracem et tracheam permeare, adscendere, descendere, respirationem impedire, laryngem constringere, convulsiones at facultatum intellectualium laesiones efficere affirmarunt.

Neotericorum quoque longe maxima pars in alterata uteri vita ponunt causam hysteriae atque sequentibus suam opinionem suffulciunt rationibus:

1. Hysteria nunquam ingruit ante pubertatem.
2. Cum graviditate at partu intrat levamen.
3. Exstinguitur plerumque morbus anno quinquagesimo, quum vita sexualis exstinguitur.
4. Sectiones alterationem uteri et ovariorum exhibent.

Alii in venositate sanguinis praevalente et essentiali ejus in organa abdominalia et praecipue uterum effectu quaerunt

causam, atque Geigel solennem genii epidemici venosi annorum 1835–1840 in hysteriam influxum eruere est conatus.

§. 11.

Andral vero sequentem uteri ad hysteriam statuit rationem:

1. Generalia morbosa systematis nervosi symptomata, quorum complexu hysteriam designare solemus, saepius adsunt, quin organica affectio uteri vel ejus vitae turba adcusari possit.

2. Hysteria plerumque uni alterive harum alienationum originem debet vel continuationem; hic imprimis sensibilitas nervorum topice adaucta est commemoranda, quae saepissime simul cum uteri inflammatione incedit, ita ut hysteria in aliis casibus mere nervosa, in aliis consecutiva sit et symptomatica.

3. Substantivi mera nervosi hysteriae paroxysmi, functiones uteri turbare, et organon hoc ad alterationes disponere possunt, quae tunc in systema nervorum reagunt, et accessus hystericos provocant, mere symptomaticos.

4. Experientia docet, quomodo gradus affectionis uteri morbosae ad gradum et vehementiam paroxysmorum hystericorum nequaquam in directa sese habeat proportione.

Illud solum superest addere, quod forte nullum dator in oeconomia humana organon, cujus alterationes organicae causalem cum hysteria nexum minus frequenter manifestent, ac uterus et ovaria; quum paucae dentur vetulae, quorum uterus alterationes non offerat, quin hysteria laboraverint; quum cancer, polypus uteri, hydrops ovariorum nunquam phaenomena promoveat hysterica. E contrario experientia quotidiana compertum habemus, quod in hystericis functiones uteri, fluxus menstruus, gestatio et partus perfecte regulares esse possint; aegrae vero ipsae nequaquam uterum qua sedem morbi accusant. — Omnia demum morbi symptomata, quae ad systema genitale referuntur, ex irritatione nervosi, qui illi praeest, plexus prodeunt; sed symptomata aeque urgentia in omni alio systemate locum habent gangliis subjecto; uti in tubo intesti-

nali, in ventriculo, in pulmonibus, in corde, in diaphragmate etc.; nunc una nunc altera praedominatur affectio; longa decurrunt intervalla, in quibus omnia normaliter funguntur, de repente turbae in parte longe alia systematis gangliosi oriuntur, singula vero viscera integra remanent.

§. 12.

Hygmor paroxysmos circulationis in corde et pulmonibus impedimentis effici asserit, atque eo modo dyspnoeam, animi deliquia, intestinorum per diaphragma compressionem et globi hysterici sensationem provocari. — Sydenham in abnormi spirituum animalium motu; Pomme in systemate nervorum, Lepois in idiopathica cerebri, Willis vero cerebri et nervorum affectione radicari hysteriam asseverant.

Ut reliquis supersedeam, recentissimam adhuc commemorare juvat, quam de proxima hysteriae causa conceperunt Dubois et egregius Benevenisti opinionem. Sectionibus nimirum innixi in venositate sanguinis praevalente latere fontem contendunt, qua parietes venarum, sinuum durae matris et vasorum parenchymatis uteri mollescant, ganglia vero et nervi gangliares durescant.

§. 13.

Nos vero causam proximam in illo organo residere credimus, ex quo influxus in omnia reliqua emanat organa, nempe in cerebro. Supponimus nimirum, ganglia cavorum inferiorum, centro vel polo interiore in cerebro gaudere et ex hujus activitate abnormi in ganglia omnis hysteriae symptomata in singulis organis commoveri. Quae sit haec cerebri pars, qualis ejus alteratio, plane ignoramus. Id saltem suspicari licet, omnem actionem pathologicam ibi cum inversione et commutatione polorum esse conjunctam, ita ut negativum fiat positivum et viceversa, omnis enim nervorum actio est polaris; et hac demum ratione inversa receptivitas et reactio foret explicanda.

In cerebro vero potius quam in nervis vegetativis haerere

morbum eo facilius concedet, qui secum reputaverit, quod maxima aegrarum pars, vehementibus licet paroxismis tentata, vita vegetativa integra gaudeat, imo laudabili et vigente habitu in intervallis; quod communes hysteriae per annos protractae sequelae sint laesiones intellectus, sananum et motuum voluntariorum; quod hysteria interdum cum epilepsia vel catalepsia complicetur; quod causae excitantes saepius adfectionum morales sint et moralibus remediis interdum sanetur morbus, et quod denique transitus phaenomenorum ex sphaera vegetativa in systema musculorum voluntariorum alio modo nequaquam explicari possit.

§. 14.

Dispositionis momenta sunt:

1. Certa corporis maturitas et pubertas, ante quam ingruere non solet. Hoc phaenomenon non ex evolutione explicandum, quae tam post pubertatem, quam in individuis hystericis interdum progreditur; neque ex certo animi culturae gradu, dum mulieres quoque rudes, imo ex infima subinde plebe hysteria laborent, sed potius ex propria infantibus incuria (*naiveté*) repetendum erit, qua gratis, quae offert vita, animo fruuntur simplici.

2. Certus phantasiae vigor; hinc homines cum exigua facultate reproductiva, homines quadrati, idioti nunquam hoc morbo laborant.

3. Haereditas. Hysteria saepius per familias et generationes propagatur.

§. 15.

Causis excitantibus adnumeranda: 1. Omnia, quae vitam systematis vasorum labefactant et eadem ratione systematis nervorum intendunt activitatem; uti diarrhoeae protractae, haemorrhagiae fortes normales vel insolites; jactura humorum ad quorum restaurationem magnae impenduntur sanguinis copiae. Inde conceptionibus et partibus crebris bravi tempore sese excipientibus, abortu frequente, lactatione protracta plurimum invitatur hic morbus.

2. Justo major phantasiae vivecitas. Si insuper negotium

exercent, quod attentionem non requirit, nihil obest quin vividissimis abripiantur imaginibus. Hinc quas texunt foeminae magis obnoxias sunt hysteriae, ac quae acu pingunt, lavant etc. Nobiles pensitant amores et somnolia, quod tamen nequaquam confitentur; zelotypia, invidia, odio moventur. Nuptae vero, a conjuge neglectae varia moliuntur consilia ejus amorem revocandi, aemulis tricas et perniciem parandi, magnanimiter sese immolandi etc.

3. Animi adfectus deprimentes: spes decepta, cura, aerumnae, aegritudo, moeror, terror. — Terror cum subita suppressione fluxus menstrui praesentis vel imminentis est frequentissima hysteriae causa.

4. Omnia, quae directa stimulant systema gangliorum et systema genitale speciatim, sive somatica sit irritatio, uti coitus frequentes absque conceptione, masturbatio, blenorrhoea protracta; vel stimulus prope genitalia e. g. ascarides in intestino recto — sive psychica uti libri lubrici, imagines, colloquia etc.; hinc hysteria tam altiaris quam inferioris classis corripit individua.

5. Tandem per metaschematismum ex aliis nevrosibus e. g. typho vel febre intermittente evolvitur.

§. 16.

Prognosis extenus tantum fausta esse potest, quatenus in se spectata hysteria raro periculo minatur vitae; imo receptivitas pro aliis morbis imminuitur; sic in genere e malis epidemicis manent immunes. Salutis vero restitutio integra rara et generatim neque a natura neque ab arte speranda.

Facilius sanantur quae in pubertate oriuntur formae, si cum menstruorum difficultatibus coincidunt. Pessimae vero notae sunt: haereditaria, in periodo involutionis evoluta, cujus paroxysmi brevi tempore redeunt, vehementes sunt, organa occupant ad vitam absolute necessaria, vel in inflammationes chronicas vel anatas transeunt. Facillime vincitur quae recens, distinctas causas externas insequens, post paroxismos vehementes vestigia non relinquit, hysteria. Boni augu-

710

rii est, si paroxysmi post longiora intervalla pedetentim breviores et minore intensitate recurrunt; tandem penitus evanescunt.

• Critica nonnunquam sunt fluxus menstruus reveniens, haemorrhoidm vel arthritis, vomitus, diarrhoea, urina aquosa vel lacrymae profusae, vera interdum aegris voluptas. Morbus vero excretiones criticas non manifestat.

Transit hysteria in inflammationes acutas vel chronicas, uti gastritidem, enteritidem, gastritidem lentam et inde in scirrhum; per irritationem uteri, per fluorem album protractum in scirrhum uteri; per onaniam in tabam dorsalem; ex bronchiorum subphlogosi in phtysin vel febrim hecticam. Tubercula, quibus supervenit hysteria, magis evolvuntur, et mortem accelerant. Alias abit in paralyses varias, in somnambulismum, epilepsiam, nymphomaniam, melancholiam etc.

Mors insequitur vel ex paralysi organorum ad vitam essentialium sub insultu, vel asphyxia, apoplexia; vel per metaschematismum, vel alios morbos posthumos supra laudatos.

Notandum est, quod plurimi asphyxiae casus in hystericis occurrant, atque hinc earum cadavera nonnisi manifestis putredinis vestigiis sint sepelienda.

Hysteria ergo non omnis vitae periculi expers, et nisi per se ipsam, tamen per morbos secundarios perniciem minatur. Caeterum altam rarissime attingunt aetatem et mors lenius est malum ac vita tot incommodis et doloribus infestata, sub continuo metu, anxietate et aegritudine transacta.

§. 17.

Therapia. Juremerito lapis Lydius medicorum vocatur hic morbus. Exigunt aegrae attentionis et sympathiae gradum, difficillime in plurimis casibus concedendum; omni momento medicum suum repudiant et alium accersunt. Magna remediorum praedilectione non obstante nec ullum ad amussim sumunt; quodlibet continere quidpiam accusant, quod iis non conveniat, quod ferre non valeant. — Primis diebus omnis medicus miracula efficit et ad sidera usque extollitur

laudibus, ut post hebdomadem eo altius ruat. Si omnia, quae referunt, patienter audimus et illis fidem saltem ad speciem habemus, subito perdimus fiduciam; bene enim sciunt, se mentiri et despiciunt medicum, qui adeo facili negotio decipi potest; qui relata non curant, eo aegrius ferunt medicos. Unicum, quod nobis praesto est refugium, est, eas per sua effata ipsa adeo implicandi, ut sibi contradicant et dein graviter eas reprobandi; hac tantum ratione coram fiduciam nobis comparabimus et respectum.

Semper aliquid praescribere opus est, et remedii effectum praedicere. Ille proinde effectus plerumque ingruit, nam aegrae persuasum sibi habent, eum necessario ingruere debere, et eo ratione persentiunt, quod alias nequaquam persentivissent. Fere omnes aegrotae formulas medicas student, peculiarem de remediis et de statu suo concipiunt opinionem, quam nec probari volunt, nec refutari, et ex medici effatis ratiocinia interdum derivant, quam maxime confundentia. Quum saepissime nobilioris conditionis foeminae hoc morbo laborent, magno opus est consilio, ne naufragium faciamus; imo interdum medicum, quem sentiunt et timent, fugiunt atque alium praediligunt, quem facilius flectere valent. Si consideramus, quod illi morbo individua tam altissimae quam infimae originis sint obnoxia, patet, quod nullus desideret profundius naturae humanae studium, ac hic morbus.

§. 18.

Secedit therapia hujus morbi in radicalem, quae in causam proximam et palliativam, qua contra symptomata morbi est dirigenda. Palliativa contra regulam generalem hic multo majoris momenti est, radicalis enim non brevi, imo saepissime nequaquam succedit, symptomata vero momentaneum interdum petunt auxilium; ita, ut palliativa locum teneat principalem et a radicali eatenus solummodo regatur, quatenus omne illud vetat, quod ideae curae medicalis repugnaret.

Priusquam vero in singulas indicationes inquiramus, quaedam de regimine diaetetico erunt praemittenda, quod eo ma-

gis nostram meretur attentionem, quo longe saepissime per evolutionem culturae mentis, per vitia diaetetica et consuetudines praves ponitur hin morbos; certe vero nec palliativum nec radicale efficiendum erit levamen, quamdiu errores illi diaetetici et pravae illae consuetudines non erunt emendatae. Eodem ergo tempore regimen diaeteticum prophylacticam aeque ac radicalem implet indicationem.

§. 19.

Malae vero consuetudines et errores diaetetici multo facilius investigandi sunt, quam abolendi. Plurimum segnitiei et otio indulgent; plane nihil agunt et mille praetextis probant, se nihil agere posse; omnis autem medelae conditio prima est occupatio; qui illis necessitatem praedicaret, saltem promessa obtineret, et vi plane nihil impetrandum. Moliendae ergo ut sua sponte laborare incipiant; ad artis musicae, picturae, scientiae naturalis studium incumbant, quod aeque attentionem requirit ac honoris cupidinem interdum stimulet; aliis conditionibus aliud negotium.

Altera proclivitas aegris his multum solemnis est innaturalis nisui sexuali satisfaciendi modus; plurimae oniam exercent et fluorem albues accusant; caveat sibi medicus a fraude, sed cautus quoque sit in detegendo hoc vitio et parcens aegrae, si detexerit; hoc proinde modo confidentiam ejus et sympathiam sibi comparabit et recludetur ipsi largus remediorum psychicorum penus. — Ex hoc proin vitio raro concipiant hystericae, et si concipiant, raro maturant. — Si fieri potest, nisui sexuali modo naturali satisfiat; in casu contrario res quam maxime ardua. Negotium aliquod defatigans, exercitium corporis, bona consortio, cura quaedam, occupatio mentis etc. optima probantur remedia; caeterum in lecto non decumbat, nisi defatigata et somnolenta, neque in lecto maneat non dormiens.

§. 20.

Valde irregulares esse consuescunt hystericae quoad diaetam sensu strictiori; nunc per plures dies plane nihil come-

dunt, et ventriculum aqua et potu Chamamillae replent, nunc sub nocte profunda ova, pisturas, carnem etc. larga quantitate ingurgitant. Diaeta vero sit vigorosissima, nutriens potius quam stimulans; mane potus succolatae, ad prandium jura carnis bona, caro recens, radices leguminosae, non herbae; pro potu cerevisia levis multo maltho et pauco lupulo praeparata, acido carbonico dives, vel aqua cum pauxillo vini. Coena consumetur ad horam sextam vel septimam, non brevi antequam decumbat aegra, ne symptomata vehementia, penitus exhaurientia ingruant nocte.

Alvus in genere tarda, faeces durae, membrana mucosa intestini crassi parum secernit. Aegrae verò multum contribuunt ad augendum hoc malum per remedia varia in usum vocata; aliae largis cremoris tartari, salium purgentium praecipua vero salis amari quantitatibus ventriculum et tubum intestinalem irritant et eorundem vim assimilatoriam labefactant; aliae vero intestinum rectum per clysmata Kaempfii vel alia naturae humanae alienissima laecessunt, at brevi eo perveniunt, ut secretionem membranae mucosae jam ad imum reductam penitus extinguant. — Novi ego foeminam hystericam triginta duorum annorum, constitutione firma et vigore aetati suae convenienta gaudentem, quae per clandestinum pilularum Morisonii usum, dosi increscente per longius tempus protractum de repente in diarrhoeam colliquativam ruit et intra octo dein dies animam exhausit. Magna harum pilularum quantitas post mortem suam inventa est, ubique locorum recondita et usui futuro destinata.

Quantunque difficile sit, tamen has aegras remediis aperientibus innocuis assuefacere opportet, e. g. mane mel ventriculo jejuno, lac pro potu, lac butyri vel juscula lactis vespere.

§. 21.

Principia basin omnis therapiae constituentia sunt:

1. Abstineamus ab omni remedio, quod vitam plasticam conspicue labefactet.

2. Imminuatur adaucta systematis gangliaris irritabilitas. Exinde jam duplex proficiscitur curationis via: altera *palliativa*, quae singulorum gangliorum irritationem mitigare vel saltem ejus affectum tollere conatur, illa immediatim adgrediens organa, in quibus saevit morbus; non curat causam phaenomenorum sed phaenomena ipsa; — *radicalis* altera in morbosam cerebri activitatem agendo, causae irritationis gangliorum tollendae studet.

§. 22.

Cura radicalis. Morbosa cerebri activitas vel ex alterata sensibilitate vel vegetatione prodit, vel demum ex vitiata proportione mutua. Pathologia nondum eatenus progressa, ut in singulis cerebri organis sedes morbi et alterationis modus demonstrari possit, ex altera parte vero nequaquam erotum est, quam cerebri partem et quomodo singula adficiant pharmaca; de directa indicatione ergo nequaquam sermo esse potest. In nostro casu, ut sensibilitatem cerebri abnormem compescamus, stimuli psychici erunt regulandi; remotio omnium librorum phantasiam inflammantium, praecipue ea ratione, qua hucusque exaltari consueverat; evitatio omnia causae excitantis psychicae, peregrinatio, multifaria occupatio, interdum amor felix juvant. Vidi puellam 17 annorum animi placidi, constitutionis lymphaticae, sat robustae, hysteria ex haereditate laborantem vehementissimis corripi insultibus sub forma singultus, et convulsionum. Frustranea erant per duos annos medicorum clarissimorum conamina, quum eenim sensimque hysteria evanesceret et puella hilari animo et salute inconcussa gauderet. Sex mensibus post in recidivam incidit et vehementius ac prius vexabatur. Quae fuit causa miraculi? Amarem in medicum concepit; auteros vero non fuit propitius — quod ergo e matrimonio subinde ingruit levamen, iufluxui psychico potius ac somatico debetur.

Vegetatio cerebri praecipue somnum quietum et sanum requirit; omnia removenda, quae illum impediunt, omnia in auxilium vocanda, quae illum expediunt. Summi hic sunt momenti defatigatio et nutritio sufficiens.

§. 23.

In methodo palliativa observanda veniunt: gradus morbi, pars systematis gangliaris eminenter adfecta, qualis sit haec adfectio et quantum faciat ad impediendam curam radicalem.

Quamdiu symptomata morbosa in singulo systematis gangliaris parte non eminent, remediis quidem palliativis nequaquam opus est; aegrarum vero impatientia ea exigit. Ad remedia ergo confugiendum erit, ulteriori evolutioni coërcendae et fortiter in sensibilitatem agendo apta. Huic scopo praeprimis balnea tepida respondent; totam cutem irritent, promovent transpirationem, sensilitatem contra atmosphaerae vicissitudines imminuunt, denique qua stimulus universalis et validus in nervos spinales sedant systema gangliorum. — Asa foetida quoque commendari meretur. Desiderant aegrae remedium aliquod fortiter agens in totum systema sensiferum, nec facile invenies aliud huic fini correspondens; laudabili insuper pollet vi, non singulum ganglion seorsim sed omnia simul afficiendi et hinc probabiliter repetenda magna, quae illi adscribitur, cerebrum et memoriam reficiendi virtus. Omnia proin simul incitat systemata absque ullo coëffectu ingrato.

§. 24.

Hic est locus pauca de utero commemorandi, cujus fere semper plus minus abnormes sunt functiones et quidem effectum tantae dignitatis in morbum exercere visae sunt, ut ab antiquissimis ad nostra usque tempora maxima medicorum pars in utero morbi focum quaererent. Hae abnormitates sunt:

1. Menstruatio parca, post intervalla debito majora ingruens et pruritum intollerabilem relinquens in pudendis, quem fateri pudet aegras. Conveniunt balnea tepida, Aloë et alia cathartica irritationem tollentia et secretionem uberiorem efficientia.

2. Menstruatio profusa, quae saepius adest ac difficilius sanatur. Sub menstruis protractis cum intervallis exiguis, cum doloribus et spasmis omnis generis multum perdunt sangui-

nem. In genere unica ferri praeparata apem ferunt in intervallis liberis propinanda. Praecipuam sibi meret laudem Carbonas Ferri, dein Murias Ferri ammoniacalis, sub menstruatione adsumti fluxum augent. — Interdum Ferrum nequaquam fertur et fluxum menstruum subito ciet; contingit io illis, quarum organa sexualia sicca semper sunt et calida. Hic rora praeparatoria erit instituenda. Inchoamus cum vegetabilibus, Ferro quoad effectum similibus, cum Tonicis nimirum; ab his ad Ferri praeparata ab initio mitiora, dein fortiora progredimur, a Salibus et Tincturis nimirum ad Oxyda et Limaturam Ferri; quae vero semper rom remediis aromaticis et amaris erunt combinanda.

3. Subinde dolores, delkia, convulsiones iagruentem concomitantur menstruationem; sensibilitas membranae mucosae organorum sexualium adaucta culpam fert, cui occurrimus per usum Cicutae internam et Cataplasmata Cirotae. Etiam vitium organicum praeprimis unius alteriusve ovarii similia offert symptomata, quod ex dolore locali inter symphysin pubis et cristam ossis ilei dignoscitur; increscentis degenerationis periculum hirudinibus vel fomentis ex glacie loco doleati adhibitis est arcendum.

4. Membrana interna vaginae, imo nympharum sub omni attactu dolet, rubet et muco tenui obducitur. Nisi ab infectione syphilitica provenit (quod mox ex qualitate secreti cognoscitur), si merum hysteriae symptoma est, injectiones ex Infuso Conii et Saccharo Saturni juvant. Ascarides in vagina injectionibus cum Ol. Hyosciami cocta necantur.

5. Fluor albus. Si vagina est indolens, adstringentia erunt proficua.

6. Concipiunt quidem, sed tertio plerumque mense abortum faciunt. Ab omni coitu et praecipue ab omnia caveant aegrae.

§. 25.

Singuli accessus rarissime subito ingruunt; aegrae ipsae plures per dies sentiunt, paroxysmum adpropinquare. Hoc foret momentum paroxysmum praecavendi et morbom strangu-

landi; sed ex una parte causam morbi in plurimis casibus ignoramus, ex altera vero, si jam cognoscimus causam tollendo impares sumus; sunt qui in hac periodo largas propinent Chinae doses; alii balnea sufficere credunt non modo paroxysmo praecavendo sed et morbo eradicando; nos vero singulos expectandos esse paroxysmos et congrue tractandos censemus.

Si vero morbus jam unam alteramve systematis gangliaris partem adgressus est, atque paroxysmi manifesti celebrantur, duae retinendae sunt indicationes:

1. Transitus in alium graviorem impediatur morbum.

2. Remedia adhibeantur, quae organis sanis sunt irritamenta, haec enim solummodo sedativa sunt organis hystericis. Agunt potius systema vasorum irritando ac systema nervorum placando; cauta ergo manu sunt propinanda, ac mox inefficacia vel imo nocua evadant. Sic Inf. Chamom. et Valer. ab initio cito adfert levamen; usu vero protracto vel justo fortiori mox effectum perdit, imo peculiaris quaedam capitis affectio, quasi intoxicatio, remedio debita in scenam venit atque cum Camphora et Inf. Coffeae concentrata est debellanda.

§. 26.

Hysteria uterina Gummata sibi exposcit et remedia illis similia, uti: Tinct. vel Pulv. Castorei; ex Gummatibus: Asam foet. in pil. et tinct. Efficacissimum in hysteria praecipue uterina remedium sistit Pulsatilla, praecipue si cum parca menstruatione, vehementibus symptomatibus nervosis stipata incedit. Extr. Puls. semper recenter est parandum, secus efficaciam suam amittit. Dosis Pulsatillae eo efficacior, quo minor; inde ab 1/16 gr. d. d. incipientes ad 1/8 vel 1/4 gr. p. d. adscendamus. Asa foet. et Castor. ad 1/4 — 1/2 gr. p. d. propinanda.

In hysteria vesicali specificae sunt Cantharides; Tincturae gutta una in vehiculo mucoso in sex-octo horis, balnea simul tepida et, si nullum exererent effectum, applicatio catheteris.

Hysteria intestinalis Gummata ferulacea indicat, Assam foet., Gummi galb.; potius sub forma clysteris quam interne; insuper abdomen cum Ueg. volatili vel Liq. C. C. succinato vel fomento aromatico-vinoso tractandum.

Interdum protracta alvi obstipatio et faecum in intestino coeco accumulatio dyspepsiam et in sensilioribus symptomata quaedam nervosa provocant. Incredibile revera, quae faecum induratarum massae subinde in hystericis inveniantur. Alvus quidem evacuanda, non vero catharticis; incitanda prius est secretio in intestinis siccis per clysmata saponacea, per usum internum Kali tartr. vel Tart. natron. cum Extr. Tarax. in aqua Chamomillae soluti; aliquae taedem unciae. Ol. sem. Ric. desideratum habent effectum.

In *hysteria gastrica* commendantur solutio Assae foet. Castor., Valer. in vehiculis vinosis et cum Naphta juncta; supremum vero locum tenet Opium, praecipue Acet. Morphii. Si chemismus organorum digerentium vitiatus est, propina Liq. Kali subcarb. vel oculos cancrarum, Magnesiam etc. simul vel alternatim cum prioribus. Externe sinapismos ad scrobiculum cordis, Emplastrum aromaticum ex Zingibere, farina, Ol. Carvi et pauxillo Terebinthinae.

Hysteria pulmonalis requirit Scillam forma Extracti vel Aceti una cum Gummi ammoniaco et similibus, nervos pulmonum stimulantibus. Externe sinapismos fortes ad decussationes nervi pneumogastrici

In *hysteria cardiaca* (forma terribilis) minimas Scillae doses $1/8$ — $1/16$ gr. semel bis d d. sunt indicatae; si affectus ingruit, per 3–4 dies seponatur.

Laryngeam irritatio cutanea, sinapismi saepius subito tollunt cum horrendis symptomatibus suis in organis loquelae.

Hysteria spinalis forma aeque tremenda, praeter systematis ganglioris irritationem clysmata Assae foetidae, interne Acido hydroc. dosi quidquam fortiori ad scr. semis (secundum Vauquelin parati) in 6–8 unc. emulsionis mucosae tractatur. Nisi cito evanescit spasmus ad embrocationes et psychrolusias progrediendum erit, praecipue in tetano hysterico.

In *hysteria cephalica* substantiae vegetabiles, oleo aethereo scatentes conducunt; imprimis Valeriana, dein Chamomilla, qua Infusum, Elaeosaccharum vel Tincturo dosi admodum restricta, vel etiam qua aromata. Dantur peculiaria hystericie aromata; omnis odor individuo sano gratus male afficit hystericas, imo convulsiones interdum provocat; uti odor rosae, lavendulae, jasmini Apud nationes in quibus hysteria valde frequens est, talia inde aromata a foeminis proscripta sunt. Durante graviditate et sub partu morbosa haec irritabilitas non raro ad lethiferas usque exaltatur convulsiones. In genere factum peratat, quod omnia aromata hystericis habentur graveolentia, odor contra crinum vel plumarum ambustarum, vel fumigationes theophrasticae cum ungua et cornu capri et rasis equi ungulbus veram illis praestant voluptatem. Aromatibus pro hystericis erga inserviunt. Ammonia liquida cum Oleo pyroleoso e. g. Ammonia pyroleosa, materiae vegetabiles nidorosae e. g. solutio Belladonnae, Aconiti, imprimis omnes plantae odore mucido gaudentes. Odares pro momento tantum et parca dosi applicentur.

In *vasculosa* exhibe acida cum Spir. vini; e. g. Acid. Halleri, Elixirium vitriol. Mynsichtii.

In *musculori* therapia analoga est cum illa cephalicae et intestinalis; Gommata in clysmate, interne parvae Castorei vel Tincturae Valer. doses et aromata in hysteria cephalica laudata.

Palliativis remediis etiam adnumerant odorem Assae foet. et clysma ex aqua frigida, quod subito sistere praedicant insultum.

In casibus omnia remedia frustrantibus methodus endermatica hinc inde cum landabili incedit effectu, uti adspersio plagae per vesicans apertae cum pulvere florum Arnicae.

Interdum transpiratio pedum, sub axilla vel ad genitalia, impetigines quoque ante paroxysmum evanescunt, juvat applicatio Kali caust., adspersio Cort. Mezerei, alias parvae Sulfuris doses vel balnea sulfurica.

Caeterum medicamentorum forma saepius est mutanda.

720

§ 27.

Si paroxysmus jam per prodromos indicatur, praesto sint homines, qui auxilium ferre valent. Sub convulsionibus aegrotae contineri debent, ne in altum jactentur et recidant, sese mordeant, crines evellant, caput concutiant etc. Aegrotae eo minus defessae sunt post paroxysmum, quo minus cohibiti fuerunt motus; hinc non impediantur, quominus flectant membra et extendant, et varios perficiant motus. Exuantur vestibus, praeprimis quae collum, thoracem vel abdomen constringunt et in lectum ponantur. Ut contineantur, alter assistens manum unam incumbit humero, altera tenet pugnum; alter idem facit in latere opposito; duo alteri dirigunt pelvim et femora, attrahendo ex parte sua lintea vel stragula, quibus tegitur aegra. Si fortis est aegra, alius contineat pedes et alter caput dirigat. Ut motus, quantum fieri potest, non cohibeantur, certe libertas concedenda est aegris; sequuntur assistentes aegrae motus tenendo singulas partes atque impediendo simul, quominus crines attingantur manu vel pars aliqua dentibus. Si vero tot individua non sunt praesto, thôraculo coërcitivo muniantur.

Sub accessu omnes curiosi sunt arcendi et cavendum ab omni ratiocinio de statu aegrae, quod eam irritare aut inquietare posset; plerumque enim sibi consciae sunt.

§ 28.

Superest de *balneis* loqui. Hystericas in genere diligunt aquas soterias, et solertissime iis utuntur, ita, ut plus noceant quam prosint. Thermae melius conveniunt et quidem ferratae et kalinae.

Ferrum funestis interdum stipatur effectibus, uti supra vidimus, ergo qua specificum contra hysteriam nequaquam est celebrandum. Apta adhibetur in illis formis, quae provocantur antagonismo, exhaustione systematis vasorum vel per haemorrhagias immediatas vel per jacturam humorum, ad quorum restaurationem magna requiritur sanguinis moles, in

hysteria ergo, quae valides metrorrhagias, partus cum magna sanguinis ex utero jacturs, blenorrhoeas protractas, et lactationem justo longiorem insequitur. Indicatae sunt: Thermae Pyrmontanae, Bocklet, Brückenau et Theben (parum quidem notae sed multum efficaces). Semper actus praeparatorius praecedere debet cum reliquis cautelis, quae in usu ferri supra fuerunt memoratae.

§. 29.

Sunt vero formae, quae ferrum nequaquam tolerant, sed sedantia potius exposcunt, et quidem illae, quae immediate systematis gangliaris irritatione oriuntur – formae gentium nobiliorum. His praeprimis certs thermarum species conveniunt vel artificialium vel naturalium. Artificialibus adnumeramus Kalinas ex Kali caustico vel Lixivio praeparatas; naturalibus Thermas Emsenses et aliquas Alpium Thermas efficacissimas: Gastein et Pfaeffers. Interne ad earum effectum promovendum, Narcotica: Pulsatillam d. r. 1/4 — 1/2 gr. d. d.; Nucem vom. Extr. 1/32 — 1/16 gr. d. d. vel Tinct. aliquas guttulas d. d.

In convalescentia, plurimum ad menstrua regulanda, Thermae ferratae artificiales vel naturales in usum vocentur. Diaeta sit stricta, praecipue psychica.

§. 30.

Cæterum medicus per totum annum vexatas plerumque aegrotas, ut ab iis deliberetur, vere in thermas mittit et mutatio circumstantiarum, quae morbum interdum fovent, peregrinatio, deliciosi thermarum situs, consortium cum hominibus antea ignotis, societates, cura vestium, vanitas, suffragia virorum etc. meliori in genere coronantur effectu ac sperare liceret tam a remediis quam a thermis.

THESES DEFENDENDÆ.

I.

Valet polaritatis principium et in physiologia et in pathologia.

II.

Nisus sexualis in foemina est amor infantum.

III.

Apparet morbus sub formis vitae normalis.

IV.

In nevrosibus humores peccant quantitate, nunquam qualitate.

V.

Non dantur infarctus glandularum.

VI.

Podagra haeret in arteriis.

VII.

Ubi vires deprimendae, ibi medicus, ubi augendae natura valet.

VIII.

Stethoscopia diagnosim firmiorem, prognosim tristiorem et therapiam pauperiorem reddit.

IX.

Libri therapeutici in usum populi conscripti nunquam utiles.

